

D. O. M.

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



OSSA, *solidiores corporis humani partes, cæteris omnibus aliis sustinendis stabiliendisque inserviunt.* Intimiorem illorum compagem perlustranti, fibras mirificè inter sese implexas & ordinatas, multiplicia vasa diversis plena liquoribus, eamdemque demùm structuram ac molliores corporis partes undique exhibent. Non mirum igitur, utrumque partium genus, iisdem præcisè morbis affici, tumoribus scilicet, nec-non continui ac contigui solutionibus.

HAS inter, haud infrequentior *Luxatio*, quæ est *Recessus extremi ossis mobilis ex cavo in quo naturaliter movebatur.* Quicumque morbi illius curationi cupit incumbere, non solùm commissuras ossium, sed etiam in iis ligamenta, cartilagines, humorem sinovialem, musculos, vasaque iis vicina perspecta habere debet; de iis ergo, antequam ulteriùs progrediamur, pauca in antecessum præmittere juvat.

Ossium commissura, non eorum solùm consensum, sed & eorum adhæsionem præsupponit. Consensus ossium, *Articulatio*, adhæsio, *Symphysis* dicitur. Multiplex articulatio: vel enim ossa moventur, vel non; primo in casu *Diarthrosis*, in secundo verò *Synarthrosis vocatur*. Tertiam articulationis speciem quidam admittunt (*a*) in quâ, ossa eâdem ac in *Synarthrosi* ratione juncta, quemdam tamen motum possunt exercere; hanc ideò *Amphiarthrosim* nominant.

Duplex *Diarthrosis*, manifesta nempè & obscura. *Diarthrosis* manifestæ species sunt, 1°. Orbicularis, quæ rursùs *Enarthrosim* & *Arthrodiam* continet. 2°. Alterna, quam *Gynglimum* quoquè appellant. *Gynglimus* angularis est vel lateralis: angularis in perfectum & imperfectum dividi potest. 3°. Planiformis, ab obscurâ *Diarthrosi* nullatenùs distinguenda.

Ad *Synarthrosim*, alteram articulationis speciem, 1°. utraque sutura, legitima, nempè & notha, 2°. Harmonia: 3°. *Gomphosis*, quartóque tandem χιγδύλωσις (*b*) possunt referri.

Ossa, vel solâ partium suarum dispositione, vel substantiâ quâdam mediante inter sese connectuntur; hinc duplex *Symphysis*, prima *Symphysis* absque medio, altera *Symphysis* cum medio, *Synevrosisque*, *Synchondrosis*, aut *Syssarcosis* pro variâ substantiæ mediantis indole nuncupatur.

Cartilago substantia est flexilis, albicans, elastica, extùs levigata, intùs compacta, absque cavis, fibrisque, saltem conspicuis. Cartilagines duplicis generis humano in corpore passim reperiuntur; ad articulos illæ pertinent, aliæ vero secùs; priores triplicis rursùs sunt generis; mobilium ossium extremitates his operiuntur; cavitates articulorum illis augentur; aliisque tandem in his-ce cavitatibus contentis quidam diriguntur motus.

Ligamentum substantia est fibrosa, compacta, difficile extensilis, elastica, &c. Ligamenta ad articulos pertinent, vel non: priora interna aut externa sunt; hæc rursùs articulum omninò comprehendunt, & capsularia dicuntur, vel juncturis ossium obfirmandis, quibusdamque motibus dirigendis inserviunt.

Articulationum cava, sinoviâ, humore viscoso & limpi-

(*a*) Vid. Winslow Expos. Anat. n°. 146.
(*b*) Consul. Instit. Chirurg. Platneri, n°. 1093.

do, continuò lubricantur; eam à glandulis quibusdam, sinovialibus ergò dictis, ibique reperiundis separari compertum est. Medullarem succum huic juxtà, quorumdam placita immisceri non posse, nobis videtur. (*a*)

Plurimùm inter se discrepant luxationes. Earum differentiæ deducendæ sunt, 1°. ab articulo qui morbo illo afficitur, 2°. à loco quem caput ossis occupat, 3°. à causâ à quâ pendet luxatio, 4°. ab ejus symptomatis, 5°. tandem ab ejus tempore. Dividuntur autem in completas & incompletas; superiores, inferiores & laterales; simplices, compositas & complicatas, recentiores & veteres, &c.

Causæ luxationum internæ sunt vel externæ: externas inter, ea omnia annumerantur quæ ligamenta ultra modum elongare, ossaque suis è cavis ejicere possunt: tales sunt, ictus, lapsus, nisus, &c. internæ verò ea sunt quibus ossa inæqualibus trahuntur viribus, musculi ligamenta-ve, articulum ambientia relaxantur, articulorum cava extraneo quodam corpore replentur, mutuus-ve partium destruitur consensus: haud infrequentiores sunt, ligamentorum debilitas à prægresso serosorum humorum in articulum influxu; convulsiones; paralisis; sinoviæ accumulatio; articulorum abscessus; ossiumque tandem intumescentia.

Diagnostica luxationum signa, in communia & propria dividuntur: communia quâlibet in luxatione occurrunt, scilicet, dolor, immobilitas, tumor eo in loco quem caput ossis occupat, & cavitas in eo equo excidit, partisque tandem accurtatio vel elongatio.

Propria varia sunt pro variis luxationum speciebus. Completam à causâ externâ productam sequentia indicant. 1°. Externæ causæ actione subitò accidit; 2°. alia luxati ossis extremitas versùs oppositam partem dejicitur, ex quo judicari simul potest, an superior, inferior, lateralis-ve sit; 3°. membrum unam in partem facilius movetur; 4°. partis affectæ musculi inæqualiter tenduntur.

Incompletam è contra luxationem esse his signis cognoscitur: 1°. Figura nec longitudo partis immutantur; articulus tamen

(*a*) Præterquam quod non demonstratur, quâ ratione medullaris succus in articulorum cava extillet; liquoris illius cum sinoviâ, miscela impossibilis est, uti expertum fuisse se dicit Duverneyus, Tract. de morb. Oss. Tom. 2. pag. 359.

paulò eminentior eſt ac in ſtatu naturali, 2°. non faciliùs in unam, quàm in aliam partem movetur; 3°. dolor intenſiſſimus eſt.

Luxationis à ligamentorum relaxatione diagnoſis deducitur, ex eo quod, 1°. prægreſſus fuerit ſeroſorum humorum in partem decubitus; 2°. hæc facillimè quâquâ versùm moveatur; 3°. adſit in articulo tumor cum mollitie.

Si è contrà ab humoris ſinovialis congeſtione pendeat, fit pedetentim & abſque dolore, 2°. membrum elongatur, 3°. difficilè, ſæpiùſque nullatenùs reponi poteſt. 4°. dum tentatur reductio, ſonus quidam percipitur, ei ſimilis quem ſubacta refert argilla.

Luxationem à paralyſi pendere nullus inficias ire poteſt, cum membrum paralyticum afficit; 2°. cum cavum adeſt inter caput oſſis & ſolitam illius ſedem; tertióque tandem cum os luxatum omnem in partem titubat.

Quæ tandem à convulſionibus, abſceſſu, aut ab oſſium intumeſcentiâ pendent, facillimè cognoſcuntur.

Ut varia luxationum diagnoſis eſt pro diverſis earumdem ſpeciebus, ſic quoque varia prognoſis. Ex. g. quæ *Diarthroſes* orbiculares afficiunt, aut ab externâ cauſâ pendent, ſimplices & compoſitæ, recentes, &c. iis quæ in *Diarthroſibus* alternis accidunt, aut ab internâ producuntur cauſâ, complicatis &c. faciliùs & reponuntur & curantur.

Hujus-ce morbi ſymptomata omnia, à ligamentorum tendinumque nimiâ extenſione, cartilaginum inverſione, glandularumve ſinovialium contuſione pendent, & eorum præcipua ſunt dolor, immobilitas, inflammatio, febris, convulſiones, marcor, torpor, anchiloſis, &c.

Tria ad illius curationem requiruntur; 1°. enim luxata oſſa redaptari debent; 2°. ſuo loco retineri; 3°. præſentia curari accidentia, futuraque averti.

Luxatorum oſſium repoſitio extentione, contra-extentione, reductioneque tandem obtinetur. Extentionis ac contra-extentionis nomine, illæ deſignantur actiones, quibus dimotorum oſſium extrema à ſe invicem deducuntur.

Manibus, habenis, machinisque fieri possunt, his cum cautelis, ut, 1°. pars eo sit in situ, ut musculi æqualiter extendantur; 2°. loca quibus laquei debent imponi spleniis defendantur; 3°. laquei ipsismet affectis partibus & pone condylos applicentur; 4°. laxiùs aut strictiùs pro majori minori-ve ægri obesitate constringantur; 5°. vires quibus trahuntur æquales sint; 6°. ossium dimotioni, vique musculorum proportionales; 7°. tandem gradatìm agant.

Reductio quæ est actio, quâ os luxatum suam in sedem reponitur, non est celebranda, quin sufficiant extensiones; id autèm cognoscitur ex eo quòd partes sufficienter à se invicem removeantur, musculique modò tumefacti, depressi appareant.

Reductio vero ita fieri debet, ut os idem repetat iter, ac dum fuit luxatum, 2°. lentè ac successivè suam in cavitatem reponatur. Eam ritè factam esse indicant, 1°. sonus quidam eo quo fit temporis momento percipiendus; 2°. verò accidentium, doloris putà ac immobilitatis imminutio.

Quamquam luxatorum ossium redaptationem primò instituendam esse dicamus, ab eâ tamen abstinendum, 1°. cùm luxatio inflammatione, convulsionibus, fracturâ-ve in eodem osse complicatur, nisi forte, vasa majora, dimotis ossibus comprimantur, gangrenæque periculum immineat; inflammatio enim priùs discuti, convulsiones sedari, fracturaque tandem debet consolidari; 2°. cùm luxatio vetustior est; tunc enim ut plurimùm, impossibilis evadit.

Luxata ossa suo in loco retinentur, 1°. absolutâ quiete; 2°. fasciatione: 3°. situ idoneo. Deligatio diversimode, pro variis, luxationibus, instituitur, eaque in luxationibus à causâ internâ magis quàm in iis quas externa produxit causa, necessaria est.

Varius quoque situs, hic corpus integrum; luxatum articulum ille spectat: exceptis maxillæ inferioris, extremitatumque superiorum luxationibus, æger in aliâ quâvis luxatione supinus recumbere debet. Membrum affectum, eo sit in situ, ut, 1°. musculi, quantum fieri potest, relaxentur: 2°. molliter firmiterque sustineatur: 3°. cæteris partibus elatius.

Futura luxationum incommoda, illarum reductione, repercutientium applicatione, venæ sectionibus plus minus-ve repe-

titis, diætâ, potu diluente & refrigerante, quiete primis à luxatione temporibus, levibusque tandem motibus primis diebus elapsis, arcentur : præsentia verò, mediis modò enumeratis, anodynisque, emollientibus, narcoticis, aut tandem resolventibus, pro re natâ, adhibitis curantur.

De Luxationibus à causâ externâ hîc tantùm modo egimus. Quæ vero ab internis causis, sinovialis scilicet humoris accumulatione, convulsionibus, &c. pendent, non sunt reducendæ, quin morbi quibus producuntur, propriis sibi remediis fuerint destructi.

Has Theses, Deo juvante, *Præsideque* M. RAPHAELE-BENEVENTO SABATIER, Liberalium Artium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* Andreas-Joannes Lagrave, *Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 29ª. Decembris à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini 1753.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis Delaguette, Regii Chirurg. Collegii Typographi. 1753.